Status naturæ non est status belli.

TOt post artifices artis, fabrósque sciendi,
Queis cùm sorderet quicquid grandæva vetustas
Limârat, visum est nova dogmata cudere mundo;
Unicus is, solúsque hominem genus esse ferarum
Hobbius asseruit: Nam rapto vivere pronum
In Venerem & ventrem, nullo discrimine recti,
Esse animal, immite, ferox, nesciréque dulce
Nomen amicitiæ; cui mens immensa nocendi,
Omnibus hostilis, nisi quos effrena libido
Conciliat, reliquos omnes immota voluntas
Reffugit & vafra cum suspicione veretur;
Hoc genio gaudere, nec unquam ponere, donec
Vincula regnorum passi, legúmque catenas
Evadunt cicures; tali methodóque modóque
Quo bos admoto mansuescere discit aratro.
Hoc est esse feram; cui, si placet, adde loquelam,
Hobbii habes hominem. Sed non (diis gratia) talem
De nobis finxit veterum sapientia formam;
Hoc nec Aristoteles, animal sociabile, monstrum
Dixisset, non hæc idea Platonica nostri est;
Non hâc labe suum, vel tetrica Porticus ausa est
Conspurcare genus; placabile, mite, benignum,
Atque placens animal, libatæ cœlitùs auræ
Participem fecêre hominem, terræque políque
Amphibium, mirum Psyches ferrumen Hylésque,
Mortalémque deum; veterum hæc suffragia vatum.
Quos creat ad pugnas, prudens Deus instruit armis.
Dentis fulmen apros, densatarúmque phalanges
Setarum, totidem quasi pila minantia pilis,
Produnt belligeros, loricâque tergoris ursos;
Discere pugnacem possis *ex ungue leonem*;
Hos decet esse feros; turpissima bellua mitis
Ursus, & ignavus, segnísque ad prælia taurus;
His decus est, & primus honos, effundere, siquas
Pectus in hirsutum dolor aut amor excitat, iras:
Ast hominem mansueta decent & mollia, nullo
Horribilem telo, nec calce, nec ungue, nec ore,
Naturæ gaudentis opus, cui frontis & omnem
Corporis effigiem candore beavit inermi;
Huic latitare hirtam glabro sub pectore mentem
Noluit, internísque animorum horrescere villis.
Huic lacrymas tribuit, largóque madescere fletu;
Lacryma ros oculi, naturæ nobilis imber
Humanæ, cujus dum fusca & nubila mens est,
Liquimur in pluvias, blandæque tenerrima lymphæ
Gemma lavat, rigidámque jubet mitescere frontem;
Huic formæ sensum dedit, aptáque brachia dulces
Flexit ad amplexus; homines non sola libido
Effera conciliat, sed castior ignis, & illa
Aura, suo placidus quam fundit ab æthere vultus;
Illecebrosus honos humanæ frontis, amoris
Magnes, atque animæ quam velat pignus amicæ.

ERGO,

Æternas hunc ad rixas, & mutua natum
Jurgia, quíque homines naturæ pondere reddi
Clamat inhumanos, relegandus jure putetur
Exul ad Anticyras; mirari desine, Lector,
Traducat nostras si Timon talis Athenas

Omnes planetæ sunt corpora opaca.

LIberiore fugâ juvat altum invisere cœlum;
Lucentésque globos, sidereásque faces:
Pandite iter Musæ; propiùs convexa tuebor
Ætherea; & Phœbes, & Jovis ibo comes:
Pandite, quæ trepidis insit natura planetis,
Unde iniit motus devia stella vagos;
Ecquis cæruleo Deus aurea sidera filo
Sustinet, assiduâ circumagenda manu:
Aut ipsi potiùs sunt pendula lumina divi,
Circuitúsque, homines ut tueantur, agunt?
Sic ego; sic cœlo placidè delapsa sereno,
Respondet votis Urania alma meis;
Quid petis (ô juvenis) superi mysteria mundi?
Sat nôsti, tellus si bene nota tua est.
At si tantus amor cœli in confinia ducit,
Præmium hoc ingenuæ sedulitatis habe;
Haud natura vagis adeo divina planetis,
Nec tantum acquirit devia stella decus;
Nulla anima intus agit; sed enim circumfluus æther
Raptat terrenos & sine luce globos:
Immanes illi cumuli, cœlestia tesqua,
Pensile materiæ deterioris opus:
Non usquam, tepidúsve calor, luménve decorum
Affuerit, nisi sol hæc aliunde daret;
Tempus erat (memini) cùm innatâ luce refulsit
Jupiter, & proprio vortice fixus erat;
Sæpe illum maculæ circum obsedêre nigrantes,
Discussit maculas sæpe vigore suo;
Jam penitus victus peregrino illabitur orbi,
Factus ab extincto sole, planeta vagus:
Jam ruit, & propriis involvitur ipse ruinis,
Et manet excidii lugubre mnema sui:
Jam tepidis cassus radiis, inglorius exul
Solis in alterius lumina carpit iter.
Haud aliter cuncti fluidum per inane planetæ
Volvuntur, duri fragmina opaca luti;
Ipse rubens Mavors, ipsa & Cytherea serena,
Vestáque terrigenûm dulcis alumna hominum;
Quisq; citò fieret, nisi lux aliena foveret,
Horrida congeries, perpetuúmque chaos;
Vitalem sed enim tepido de sole calorem
Lambunt, ex illo, quòd foveantur, habent.




Junii 30. 1662. *in vesperiis Comit. Resp.* Mro Guil. Crouch, *Coll. D. Joan. Socio.*